



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

2. Innocentis Monachi ridicula simplicitas, malitiosissimi Nobilis iniquitati
opponitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

CAPVT XXI.

Mirabile iudicium Dei, per simplicissimos, sæpe efficientis, quod per sapientes sperari non potuisset.

- I. **N**on subuenit igitur tantum ijs diuina misericordia, quibus alij non subueniunt; aut qui aliunde deserti sunt, sed sæpe etiam subuenit, per lupos, per ceruos; aut si per homines, certè per illos, de quibus minimè sperauisses; sicut in contrarium sæpe nocent, quos credidisses tibi profuturos, vt *pro perca*, quod dicitur, *scorpium capias*, & ex ipsa *vipera medicinam*, hoc est, *ex inimicis salutem*. Ars maior est, remedijs minoribus succurrere: maxima autem, si non tantum contraria contrarijs curentur, sed etiam ipsi artis præcepto contraria adhibeantur. Sic Seruator *expuens in terram fecit lutum ex spuo*, ad oculos cæci illuminandos, cum alioqui luto oculi excæcentur; nihil enim illis magis est contrarium. Sic cum nihil sit, quod aquas magis reddat amaras atq; impotabiles, quàm sal (vt ex marinis aquis est manifestum, quas nemo potest bibere) tamen Elisæus eas, immisso in amaras aquas sale, dulces potabilesque effecit. Si artem sequi humanam, aut pharmacopolas voluisset imitari, saccharum insperisset, mel infudisset, mulsum, non salem, indidisset. Habet ergo præcipuam admirationem diuinæ prouidentiae illud cœleste iudicium, quo *uocat ea que non sunt, tanquam ea que sunt*; & utitur ijs, qui sunt contentibiles, in hominum oculis, vt eos confundat, qui sibi videntur esse sapientes. Nam quemadmodum, apud Strabonem, *Crotoniatarum postremus, reliquorum primus est*, ita sæpe, apud Deum, *primi fiunt nouissimi, & nouissimi primi*.
- II. In quam rem *Vido Abbas Cisterciensis, postea Cardinalis, cum missus esset Colonias, ad electionem confirmandam, que facta fuerat contra Philippum in Othonem, retulit ibidem, quandam sanctæ simplicitatis historiam satis incundam, satisq; mirabilem*. Dicebat enim, Cisterciensis ordinis domum quampiam, in ditione sitam Nobilis, sed Deum ac diuina non curantis viri. Is, cui ius & vis idem erat, cœnobium multis miseris vexabat modis; per præfectos ac ministros reliquos, de annona, de vino, de pecoribus Monasterij,

Luc. 1. 71.

Ioan. 9. 6.

4. Reg. 2. 20.

Rom. 4. 17.

Strab. lib. 6.

Matt. 19. 30.

Cæsius

lib. 6. cap. 2.

sterij, quantum libuit, abstulit, atque usurpauit; idq; toties, quoties vasana in eum incessit libido rapiendi. Religiosis reliquit, quantum ipsi videbatur, non quantum ad eos pertinebat. Quem ad modum haud rarò hodiè que fieri videmus, ab ijs, qui, ut ipsi pereant, perdere Religiosorum redditus, omni, qua possunt, ope, nituntur. Diu iam ea durauerat tyrannis; & pœnè lex erat, nullum ius esse Monachorum, eorùmque iura, sine iniuria posse violari. Quid facerent, contra vim tantam, pauperculi? Cratronem irritassent, aut ignem gladio fodissent, nisi querelas intra septa monasterij continuissent. Itaq; gemitum silentio prementes, velut inclusam flammam, conabantur suffocare. Sed ea tandem, tanquam ruptis repagulis, se se effudit potentiùs, quando idem Nobilis, more hostis, in armenta ipsa monasterij palam inuasit, partemque haud exiguam, prædæ instar, in suam arcem, nouus Cacus abduxit. Conuocat Abbas fratres, in concilio existunt querelæ, mox turbæ, itur in diuersas sententias. Mittendum vnum, è toto cœtu, censuerunt. Sed non erat, qui mitti vellent. Abbatis præcipuam fore authoritatem arbitrabantur. At ille prouinciam detrectauit, dictitans, nihil se, apud Caucaseum petctus, profecturum. Destinatur Prior, sed & ille noluit actum agere. Designatur is, qui *celle præfectus* vocatur; excusauit. Ad vltimum, Nemone hinc est, ait Cœnobiarcha, qui nobis ire aut velit, aut adire hunc Verrem audeat? Cunctis altùm silentibus, indignante ironia, vnus: Ille, inquit, eat, & digito simul hominem senio ingenioque simplicissimum, ac inde ineptissimum ostendebat. O quanta est vis simplicitatis! Nescit tergiuersari, dum nescit suspicari. Hinc, qui simplicior, idem est obedientior.

Igitur, ceteris omnibus iter detrectantibus, iste solus negotium suscepit. In ipso abitu, ex Abbate quærit: Quid sibi, si non totum, sed pars duntaxat eorum, quæ ablata erant, restitueretur, faciendum? Respondet Abbas: *Quidquid reddiderit, accipe, in Nomine Domini.* Præstat aliquid recipere, quàm amittere totum. Sic instructus it monachus. Ad arcem ubi peruenit, immo & ad conspectum honorati prædonis, cœpit Præsulis sui Fratrumque ei imprimis orationes offerre; tum etiam mandata, quæ acceperat, exponere. Audit ouem vulpes, &, quia *deridetur iusti simplicitas, quæ est lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus statuum*, idè & tunc superba astutia, querelas Reli-

III.

Iob. 12. 4.

Bb

giofi